ALEXANDRI FARNESII VITA A SAC. IOSEPHO TOZZI ELUCUBRATA

Giuseppe Tozzi

ALEXANDRI FARNESII

VITA

A SAC. IOSEPHO TOZZI ELUCUBRATA

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA AD SIGNUM ANCHORAE
Ad Sancti Geor. Major.
MDCCCLXXII

924

VITO FORNARI

IOSEPHUS TOZZI

Istuc quod scripsi verborum ut tibi dedicem,
Humanitas me hortatur, Fornari, tua,
Cui nihil est leve, labore quod partum est gravi.

ALEXANDER FARNESIUS

Alexander, Octavii filius, Parmae Dux, Farnesius, imperator fuit, omnium aetatis suae facile princeps. Adolescens parentum iussu Madritum se contulit, apud avunculum suum, regem Philippum, ut honoribus operam daret; sed otii impatiens et armis inhians tractandis, mox aula relicta, militiae nomen dedit. Vix eam ingressus, disciplinae militaris observantia et in adeundis periculis fortitudine, ita imperatori ac reliquis ducibus se probavit, ut qualis deinceps futurus esset, facillime augurarentur. Eius virtus eluxit primum in illo insigni ad Naupactum navali proelio; quo cum acriter utriaque pugnaretur, admotisque navibus, iam non telo milites, sed gladio cominus decertarent, is, ubi ad regiam Turcarum triremem

926

propias ventum est, repente in eam insiluit primus, eiusque capiundae viam reliquis patefecit, barbarorum duce, Alio Mustaphao interfecto. Quod facinus constat memorandae illius victoriae initium fuisse, idque Ioannes Austrius, universae classis Praefectus, iudicio suo comprobavit; qui pugna pugnata, cum ad Pylon (1) obsidendam animum contulisset, neminem huic gerendae rei, nisi Farnesium praeficiendum curavit. Nec Ioannis opinionem fefellit Alexander, qui oppidum barbarorum longe munitissimum terra marique adortus, brevi expugnavit; Turcis omnibus, aut caesis, aut captis, et remigio mancipatis.

Paulo post cum bellum in Belgio maximum exarsisset, eo secutus est imperatorem legatus, ibique ea dedit virtutis et prudentiae militaris exempla, ut, Ioanne demortuo, exercitus summam imperii ad eum detulerit: quod factum ratum habuit Rex Philippus.

Maxima erat eius belli gerendi difficultas, aversis animis Belgarum, quorum plerique Hispanum excusserant iugum, reliqui idem conabantur. Ad haec Regis copiae imminutae, amissa oppida, finitimi omnes infesti, ac foedere cum seditiosis coniuncti. His omnibus minime deterritus est Alexander, et, ut animi magnitudine non minus praestabat quam prudentia, ratus plerosque, non regis imperium sed Hispanorum mores aversari, sensit tentandos esse animos clementia. Itaque optimates singulatim arcessit, *hortatur ut a seditiosorum foedere abscedant, regis causam, quibuscumque opibus, possint tueantur; id si fecerint, iura civitatis recuperaturos esse, arces propriis praesidiis munitas retenturos.*

(1) Navarino.

Hoc consilium afflictis Hispanorum rebus habitum est in primis salutare. Namque ita effectum est, ut Wallonum provinciae a reliquarum societate se abducerent, auctosque novis auxiliis Farnesius, Germanos, qui paulo ante foederatorum subsidio venerant, profligaret, nulloque resistente, ad Trajectum (1) obsidendum contenderet. Eam urbem Mosa, flumine praealto, multisque septam propugnaculis, vi aeque et consilio usus cepit, captam depopulatus est. Pari felicitate complurbus subinde oppidis potitus est, adversarios multis cladibus afflixit.

Anno post Antuerpiam (2), opere et natura pene inexpugnabilem, ponte facto in Scaldi, flumine latissimo, jactisque molibus ingentibus, ad deditionem compulit; neque prius bellare destitit, quam Grandavium (3), Teneramundam, Mechliniam (4), Bruxellas in suam redegit potestatem, totumque Belgium recuperavit. Cum vero Flandricam expeditionem moliretur, jussus est in Galliam cum exercitu proficisci, ut laborantibus Catholicorum partibus succurreret, Lutetiamque, omni ope destitutam, obsidione liberaret.

Hoc in bello luculenter apparuit, quanto Gallorum audaciae, Itali ducis antistaret prudentia. Nam, et Henricum, Galliae regem, multis elatum victoriis, sapienti tarditate et cunctatione usus fregit, et Lutetiam, rerum inopia et diuturna fame fatigatam, consilio magis, quam armis liberavit. Cum enim superioribus in locis diu constitisset, perinde ac si praelii dimicationem pertimesceret, repente, ceu mutato consilio, castris egreditur, instru-

(1) Mastrict.
(2) Anversa.
(3) Gand.
(4) Malines

cuisque copiis, simulat eo die velle acie decernere. Dum sic hostem, pugnae ostentatione, diem totum remoratur, interim ab tergo Latiniacum (1) ad Matronam positum, qua transitus ad urbem expeditior, maximo impetu expugnat, eoque aditu patefacto, ingentem commeatus copiam libero cursu Parisios immittit. Quo facto, urbs prope sine dimicatione liberatur, rex infectis rebus ab obsidione discedit.

Paucis post diebus reliqua oppida Parisiis finitima, aliud ex alio vi occupat, quo pluribus ex locis annona civibus suppeditaretur. His rebus prospere gestis, praesidio Lutetiae relicto, copias in Belgium reducit.

Ibi reperit Hispanorum res, eius absentia, haud leviter inclinatas. Quibus reficiendis dum acerrime occupatur, regis iussu in Galliam revocatur. Eo cum pervenisset, obvium habuit in finibus Henricum, eumque pene circumventum, saucium ac fugatum dimisit. Eundem novis auctum viribus, cunctando debilitavit, mox ipso adventu a Rhotomagi (2) moenibus avertit. Calidobeccum (3), oppidum munitissimum, hostis virtute summa constantia superata, vi cepit. Hinc montibus ac flumine interclusus, sine ullo exercitus detrimento se expedivit, Galloque juventiter exultanti iterum verba dedit. Cum enim, simulata pugna, hostem dum esset ludificatus, tandem, utraque fluminis ripa, noctu castellis communita, Sequanam, qua latissime patebat, eo inspectante et nequicquam repugnante, traiecit, in Belgiumque iter instituit. Eo in itinere saepius cum hoste conflixit, semperque superior discessit. De-

(1) Lagni
(2) Rouen
(3) Caudebec

mum, incolumi exercitu, quo constituerat reversus est.

Huic invicto, Flandriam invadere iterum meditanti, victoriae cursum mors intercepit, cum annum VII, et XL aetatis suae vix attigisset.

Fuit Alexander, vir animo magno et prudentia singulari, nec in bello fortior gerendo, quam providus in apparando: rerum autem eventus sic animo prospiciebat, nihil ut ei improvisum et inopinatum accideret. Nunquam segnis, aut securior effectus est victoria. Quadrato semper agmine incedebat, tanquam si hostis foret in conspectu, tam densis et stipatis ad murum ordinibus, ut castrorum ultro se moventium speciem, intuentium oculis praeberet. Quo factum est, ut nemo incautum deprehenderit. Cum Rex Henricus, vir acerrimus, et manu promptior, ignaviae Farnesium argueret, quod pugnam cautus vitaret, missoque tubicine, ipsum lacessisset, subridens Alexander, *scio*, inquit, *meum factum Regi tuo minime probari, neque cunctatione hac mea quidquam illi molestius accidere, sed si dux est, qualem praedicant, huc accedat, et pugnare me cogat invitum. Nam, quod ad me attinet, equidem non sum commissurus, ut casus decernat, quod prudens mihi spondet consilium.*

Sed plura persequi instituti nos vetat ratio. Unum hoc adjiciam, tot ac tantis rebus gestis, satis eum superque ostendisse, priscam illam virtutem, Romani generis ac seminis propriam, Italorum animis penitus non excidisse. Atque utinam hic tantus vir his temporibus sorte vixisset! *Militaris Italorum prudentiae decus staret.*